

matris Theodoræ solus ille regnavit, i. e. A. Chr. 859 exeunte, ad Christi sacra accessisse, SIMEON *Logotheta* p. 440 nobis auctor est.

Praetereo, quod vno annalium loco a NESTORE^{d)} Imperium Theodoræ, quod æstate anni 856 desiit, cum expeditione Oscoldiana coniungitur.

Ibi enim, ex dissensu scriptorum Græcorum, vitio illum laborare, concludendum est: simul autem confitendum, procul dubio Nestorem eo loco aliquam expeditionem cogitasse, quæ secundæ^{e)} sub A. 866 memoratæ, & cum hac prima alias confundi solitæ, anterior fuerit.

Accedit, quod in annalibus^{f)} nostris *filius Oscoldi* A. 864 a *Bulgaris* occisus traditur; id quod claro argumento indicat bellum contra Bulgaros gestum.

Minime autem omnium probabile est, Oscoldum, si anno demum 862 una cum Rurico Novogrodium peruenit, & 863^{g)} ut creditur Kioviae principatum adeptus est; mox sequente anno, rebus nondum satis Kioviæ constitutis, in bellum contra gentem tam procul remotam sibi ignotam properasse.

Imo altera, quæ sub A. M. 6374 (Chr. 866) in annalibus describitur expeditio Oscoldi contra Græcos, vix erit credibilis, nisi inter gentem haud ita diu sub obsequium redactam plus temporis^{h)}, quam vulgo fit,